



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Scintillæ Ignatianæ, Sive Sancti Ignatii De Loyola, Societatis Jesu Fundatoris Apophthegmata Sacra

Hevenesi, Gábor

Coloniæ, 1715

VD18 10988289

7. Augusti. Errores, si, ùt humanum est, in aliis occurrunt: speculum tibi sint, è quibus videas, quid in te deformitatis tollere debeas. S. Ignat. apud Ribad.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50423)

7. Augusti.

Errores, si, ut humanum est, in aliis occurrunt: speculum tibi sint, è quibus videas, quid in te deformitatis tollere debeas. S. Ignat. apud Ribad.

OMnis proximi actio tua sit institutio; nulla est, ex qua vitæ præcepta legere non possis. Quæ laudem merentur, stimulus tibi sint ad virtutem; quæ displicent, cautela sint, ne sequaris.

Etiam è veneno medicinam parare nõrunt pharmacopæi; pari tu arte, certiore fructu, aliorum delicta in tuæ fragilitatis medelam converte. Ubi alium cecidisse vides, illic tu in glacie cautiùs pedem fige.

Scientia per propria pericula carò venit; felix, quem aliena docent; serò perfectionem assequetur, qui viam per suos errores velit discere. Iter per pericula non potest esse sinè periculo.

Nemo virtuti, minùs prudentiæ suæ fidere debet; exempla videat, brevior hæc, tutiòrque semita, quam qui negligit, extra orbitam raptus temeritatis suæ pœnas formidet.